



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dei Immortalis In Corpore Mortali Patientis Historia

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1694

Caput IV. Christus in Concilio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49178](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49178)

vertit se ad eum poenitendo. Itaq; omnium jam
& animi, & oculi ad eum convertantur, ut per
ejus oculos, ad eum revertamur. Ecce Christe
Ps. 144. *Oculi omnium in te sperant Domine.* Nos non sumus
15.
Ps. 16. 11 *amplius ex numero illorum, qui oculos suos statuerunt
Ps. 122. 2. declinare in terram.* Scimus, quia terra vacua
est & inanis; sed dicimus cum seruo tuo: *Sicut oculi
ancilla in manibus Domine sua, ita oculi nostri ad te Do-
minum Deum nostrum.* Ad te levavi oculos meos,
qui habitas in caelis, imò qui habitas nobiscum in
terris; es enim Emanuel. emitte super nos fulgur
tua, & fluent aromata nostra. Respice nos eodem
illo oculo, quo in domo Pontificis conversus re-
spexisti Petrum; & ut Petri, repente oculi nostri
deducant exitus aquarum; totum hoc templum
personabit planctibus, questibus, gemitibus, sus-
piriis. Aspice nos illis oculis, quibus cum Lazaro
è monumento foetidum resuscitares, lachryma-
tus es, & mox aperientur monumenta, & qui mor-
tui sunt, resurgent. Aspice nos illis oculis, quibus
aspiciebas turbam illam in deserto esurientem, &
mox misericordia motus, dicebas: *Miserere super
turbam.* Miserere super hanc turbam, quae firma-
vit super te oculos suos, donec ostendas nobis fa-
ciem tuam in excelsis habitaculo tuo, ubi abster-
ges omnem lacrymam ab oculis nostris, quando
te videbimus non amplius in speculo, & ænig-
mate, sed facie ad faciem, & salvi erimus.

C A P U T IV.

Christus in Concilio.

§. I.

Ducitur ad Concilium Seniorum.

Ps. 1. 1.

Est sacrum Davidis pronuntiatum: *Beatus vir
qui non abiit in Concilio impiorum.* Quid agemus
ne

nos, quibus hodie non aliud proponitur meditandi argumentum, quam impiorum Concilium? Sed nihil metuendum dum aditur Concilium impiorum, ubi causa adeundi est pia. Adibimus, ut impiorum consilium non sectemur, sed detestemur. Sic ergo de hoc Concilio Evangelistæ:

Et ut factus est dies, consilium iniverunt omnes Principes Sacerdotum, & Seniores populi, & Scriba adversus JESUM, ut illum morti traderent.

Ordiamur à primis verbis: *Vt factus est dies.* Quis est ille dies? dies ex omni parte magnus, & omnium qui à sole condito eluxerunt, & elucescent olim dierum longè maximus: dies quo nunquam Christo illuxit tristior, mundo latior. Rectè dicitur: *Vt factus est dies.* Hæc enim dies, quam fecit Dominus: dies boni nuntij captivis in limbo Patribus, peregrinis in mundo hominibus, beatis in cælo Spiritibus. Hæc est *dies salutis*; clarior redemptoris morte, quam solis luce hæc est illa dies, quam ante dies, & tempora, & omnia sæcula, Rex sæculorum immortalis, ab omni retro æternitate in magno suo temporum catalogo designaverat, tanquam omnium dierum sacratissimam, plenam arcanis Sacramentis, adorandis prodigiis, sacrosanctis miraculis, quâ illud opus elaboratissimum mundi, morte Dei redempti erat consummandum. Hic est ille dies, ad quem Filius Dei, ab æterno genitus in sinu Patris, in tempore conceptus in utero Matris, semper anhelabat, & cum videret, exultavit. Ergo ut factus est ille dies, convenerunt Seniores plebis, & consilium inierunt adversus JESUM, ut illum morti traderent. O inconsulti consiliarii! ad quid stulti convenistis in Concilium? quodnam stultissimi adversus Christum inivistis consilium? Nunquam vos legistis Scri-

Mat. 27. 1

Mar. 15. 1

Luc. 22.

66. &

23. 1.

Dies

ultimus

Christi,

omni ex

parte

magnus

Ps. 117.

24.

4. Reg. 7.

9.

2. Cor. 6.

2.

Iob. 21. pturas: Non est sapientia, non est prudentia, non est con-
30. silium contra Dominum? De hoc Concilio loquitur

Pf. 2. 3. David: Adstiterunt Reges terra, & Principes conven-
 runt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum

Deo ser- eius. Hic punctum unum observate, quod expe-
vire ubi rientia constat esse verissimum. Quamprimum

quis cæ- aliquis vult insistere Christi vestigiis, statim ubi
perit, ab cœpit secum vel meditari de amplectendo per-

omni- fectioris vitæ instituto; illicò ab ipsis vitæ me-
bus im- lioris incunabulis, exurgunt in eum, quotquo-

petitur. sunt alterius sententiæ, eiq; vitæ illius instituto
 dissimiles, domestici, amici, consanguinei, contem-

ranei, exteri adversarii, & qui in omnibus agunt,
 fabri totius fabulæ, dæmones. Tunc, nullus du-

bita, conveniunt in tartaro omnes dæmones, &
 ineunt consilium ut te morti tradant, & perdant,

& per dæmones, alios dolo, alios calumniis, alios
 irrisionibus, quosdam aperto odio, alios amore

simulato, nonnullos tectâ improbitate, non pau-
 cos larvatâ amicitia, complures religionis obten-

tu, scias bellum tibi indicturos. Erunt qui dicent
 cum in te uno domus inclinata recumbat, oc-

cumbere totam familiam tot gentilitiis insigni-
 bus illustrem. Alii, asserent te esse baculum sene-

ctutis maternæ, vel paternæ; parentes in tam de-
 clivi ætate destituere hoc uno quo nitebantur

præsidio, genus esse crudelitatis. Mitius loquen-
Matt. 26. tur aliqui cum discipulis: *Ut quid perditio hac?* Tale

8. ingenium, tanta indoles, tanta nobilitas ad quid
 claudatur intra Asceterii latebras? scilicet dam-

num tantum inferendum toti Reipub. ut bene-
 fit uni religiosæ familiæ? Hæ, & id genus aliæ ad-

versariorum insectationes erunt, à quibus nemo
 te præstabit immunem. Sed tu virum hic te præ-

sta, nec à constantia gradu vel ad latum unguem
 defle-

Status
 vitæ ut

deflecte. Auctor hujus insectationis est is, quo prudenter elin-
 nihil imbecillius, cacodæmon. Is autem à Christo gatur,
 sto, quem ducem sequeris, & victus, & victus gatur,
 est. Quid igitur terreris? plusne ergo ad nocendum res-
 dum aut calliditatis, aut roboris latro ille, jam in- pectus hu-
 Domini cruce confixus, habebit, quàm sapientiæ manus
 ad providendum, vel potentiæ ad opitulandum contē-
 deus, cujus afflatu hoc novæ vitæ genus amplecti natur.
 meditaris? O Christe! non timeo consilium mali-
 gnantium, dum te habeo consiliarium. Scio te ab
 omni æternitate inivisse consilium cum Patre &
 Spiritu S., de vitæ meæ totius serie, & instituto.
 Quid de me in tuo arcano consilio decreveris,
 quâ semitâ velis me ducere ad patriam, quem me
 cupias sequi ventum, ut pertingam ad portum &
 quem debcam tenere cursum, ut obtineam bra-
 viû, quia ignoro, ut mihi instinctu tuo cœlesti in-
 sinues, supplex obtestor, mihi certum est tuum de
 me sequi decretum. Vis me tibi auctoratum mili-
 tē? da tesseram, cane classicum, effer signum. Vis
 discipulum? amplector magisterium. Dic: Veni, &
 veniam. Cupis famulum? expecto imperium. Dic:
 Fac hoc, & faciam. Vis in vinea tua operarium?
 voca. *Ecce ego, mitte me.* Vis me esse in curia, in fo- *Isa. 6. 3.*
 ro, in campo, in gymnasio, in pistrino, in ascete- *Pf. 56. 3.*
 rio, in solitudine? *Paratum cor meum Deus, paratum*
cor meum. Quò vela vertam, quò cursum dirigam,
 quam semitam legam, dubius hæreo, animi pen-
 deo, incertus fluctuo. Quid faciam, nescio: Imò
 scio quid faciam. Ne errem errorem, qui non po-
 terit corrigi, totum me solo affligam, humi me
 sternam, & submississimè te magni consilii An-
 gelum supplex rogabo, nec prius rogare desi-
 nam, quam quid me facere oporteat, intelligam: *Act. 9.*
Domine quid me vis facere?

Interrogatur an sit Christus.

Matt. 5.
45.

Jam nox præcesserat, dies autem appropinquabat, cum illius imperio, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, Sol ortus est super Jerusalem, post sex horas in media cæli statione obscuratus, et ecce, ne quidem lucente Sole, appropinquante die, abjiciebant opera tenebrarum, verè os foras lucis, nam, teste Luca, convenerunt Seniores plebis, & Principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt eum in Concilium suum, dicentes: si tu es Christus, dic nobis.

Luc. 22.

Hoc concilium, quo sistebatur Christus, erat toto orbe longè celeberrimum, seu consideres, quæ in illo decidebatur causæ, quæ erant gravissimæ; videlicet, Religionis, Fidei, Morum: seu spectes, qui congregabantur Judices, qui erant vitiosi, sagaces, omnium scientiarum gnari; quot capita, tot oracula. Censebantur in illo Concilio unum cum summo sacerdote 72. Judices; & vocabatur hoc Concilium Synedrium magnum. Ingressus hoc Concilium magnus Consiliarius, *terribilis in consilijs super filios hominum*; jam verò amabilis, quia *speciosus forma præ filijs hominum*, consistit in medio *Mediator Dei & hominum*. Hic seniores plebis, inveterati dierum malorum, quia inter malos, illum interrogant, quod non ignorant, vel certè ignorare sine crimine non poterant, *si tu es Christus, dic nobis*. O cæci, & duces cæcorum! quæ est hæc tam peregrina interrogatio? si hoc peterent infantes, danda esset venia, quia etatem non habent: si pueri, & illis foret ignoscendum, quia prudentiâ carent. At vos Scribæ, quorum unum est negotium scripturas interpretari, & earum arcana perscrutari: vos Principes Sacerdotum, quorum munus est

Pf. 65. 5.

Pf. 44. 3.

I. Tim.

2. 5.]

est solvere nodos difficilium quæstionum : vos Seniores plebis, quibus incûbit explicare verba legis, hoc interrogatis, quod & Prophetarum vaticinia, & Scripturarum oracula, & tot quæ edidit prodigia evidentissimè testantur ? Interrogatis Christum, an sit Christus ? Interrogate vestros infantes; illi ante sex dies alta voce clamaverunt : *Hosanna in excelsis, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Interrogate cæcos, surdos, mutos, claudos, paralyticos, quos curavit; interrogate terram, quam aperuit, dum Lazarum resuscitavit; aquas super quas ambulavit; ventos, quibus imperavit; stellam, quæ illo nascente apparuit; muta omnia atq; inanima si voce humana possent resonare, non illum ut vos interrogarent: *Si tu es Christus, dic nobis?* Sed disertè clamarent: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Et ait illis: *Si vobis dixerò, non credeis mihi; si autem & interrogaverò, non respondebitis mihi, neq; dimittetis.* Ex hoc autem erit *Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.* Dixerunt omnes: *Tu es ergo Filius Dei?* Tu fabri filius; tu homo vorax, & potator vini; tu publicanorum, & peccatorum amicus, samaritanus, dæmoniacus, sedebis ad dexteram Dei? Te videbimus in nube: imò brevi videbimus in cruce. Nunquid hâc nostrâ nunquam satis deplorandâ ætate tale passim, quale hic in Concilio Judæorû, exercetur iudicium? Percurrite totum orbem, & attendite an sit in eo regnû, in regno provincia, in provincia civitas, in civitate domus, in qua prope non sit tribunal, in quo ipsa accusatur; accusatur dico; imò condemnatur innocentia. Quoties in conviviiis, in gymnasiis, in circulis, in curribus, in navibus, ne dicam in delubris, velut reus criminis sistitur à nocentibus innocens? Quoties qui est sceleris purus, ab impuris, & scelestis

Matt. II.

10.

Matt. 16.

16.

Inno-
centes
passim
affli-
guntur.

Sap. 5. 1.

blateronibus impetitur convitiis? Ut nulla jam
instruantur convivia, ubi non jaciantur convitia,
quoties qui est integer vitæ, à servis peccati la-
ceratur contumeliis? Quanam est in epulo men-
sa, ubi non obscuratur alterius fama; quasi hæc
una esset convivis fames, alios infamare. Et hæc
dum helluantur, dum pergræcantur, non quasi
Græcâ fide, sed sincerè prolata, avidissimis perci-
piuntur auribus, & excipiuntur plausibus. Sed ex-
pecta modicum, quisquis es innocens: expecta
donec sederit Filius hominis à dextris DEI: ex-
pecta donec Angelico spiritu tota trepidante re-
rum universitate, horrendum insonet illa sepul-
chralis buccina: *Surgite mortui, & venite ad judi-
cium.* Surgite vos, qui fuistis hic velut opprobrium
hominum, & abjectio plebis; imò omnium per-
ipsema: surgite, qui ut rei jacuistis sub iniquorum
pedibus; surgite, quia jam stabitis *magna constantia
adversus eos, qui vos angustiaverunt.* Surgite mortui,
vos inquam perfidi Judices, innocentium carni-
fices, & venite ad iudicium: state nunc iudicandi
ab iis, quos iudicâstis, & condemnâstis. O qualis
hic erit rerum omnium conversio, dum qui stat
in concilio reus, sedebit in solio Judex: qui hic
filet, rugiet ut leo: qui hic ligatus accusatur, liga-
tis manibus & pedibus mittet noxios illos Judi-
ces in tenebras exteriores. Expectans expectabo
te Domine, donec Judex vivorum & mortuorum
federis à dextris virtutis DEI. Interiù sedebo in
novissimo loco, jacebo hic tanquam mortuus à
corde, donec audiatur illa tuba: *Surgite mortui.*

§. III.

Fatetur se Filium DEI.

Spectavimus stantē inter servos peccati, Liber-
tatem: inter reos, Innocentiam; inter filios te-
nebra-

nebrarum, Lucem mundi: inter lupos rapaces, Agnum DEI, hoc est, inter Judæos, JESUM. Sed quam hic innocens Agnus parum timuerit illos pingues Tauros, nunc audite. Petierant Judæi: *Tu ergo es Filius DEI? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum.*

Ecce hic quàm diversas personas Christus nunc assumat, nunc deponat; pro causa sua, quàm humilis, pro causa Patris quam fortis. Pro causa sua non aperit os suum, sed tacet, pro causa Patris loquendo, nihil non audet. Unde cum plurimis eum accusantibus, pertinaciter sileret, exurgens Princeps Sacerdotum cum stomacho, dixit; *Nil dicis ad ea, quæ isti adversum te testificantur? Iesus autem tacebat.* Matt. 26. 62.

Nunquam causa innocentis disertius defenditur, quam dum innocens pro se nihil loquitur. Silentium est innocentiae testimonium. Postquàm verò non sua amplius, sed veritatis causa agebatur, ad ipsum adstantium terrorem locutus est: *Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis DEI.* Ecce quàm ille, qui semper est unus, hic pro causæ varietate fuit varius. Prius taciturnus, ne nutu quidem à se crimina illa, quorum insimulabatur, lubuit refellere: at nunc plus dicit quam ab eo quærebatur. Prius adeò se infra homines abjiciebat, ut se pro reo magni criminis haberi non renueret; nunc ita se supra homines extollit, ut velit non modo Filius Dei agnosci, sed etiam rerum omnium Moderator, ac Judex aestimari. Nimirum alia gerenda est persona in causa nostra, alia in causa Dei. In nostra, fas est nobis silere, & negligere, & patientia sua se involvere; & plerumque eò innocentiores habemur, quo sumus in nostra innocentia tuenda segniores: at in Dei causa, quia magna, magnis oportet assurgere

Dei
causa
fortiter
defen-
denda.

gere ausibus; magnos concipere spiritus, magna uti confidentia. Audaces bona causa juvat. Tunc oportet in sermone exhibere constantiam, qua confitemur: in quaestione fiduciam, qua congregamur: in morte perseverantiam, qua coronamur. O nostra in Dei causa, & pro Dei gloria meticulosam pusillanimitatem! qui in congressibus tam raro, tam difficilè, tam invitè adducimur, ut de Deo, rebusque ad Deum spectantibus loquamur; ut vel pia monita, vel bona consilia, vel salutaria præcepta aliis suggeramus. Nimirum nunc mihi, nunc alteri non libet hæc audire: nunc pudet, nunc piget, tunc tædet, ita rarissimè placet: timetur nunc offensio, nunc irrisio, ut in publicis cœtibus Dei, ac divinorum, dum sermoci-namur immemores, nihil impensius agimus, & satagimus quam placere pessimis. Sed quandoquidem ausi sunt, qui te, ô Christe! quærebant ad mortem Judæi, in suo Concilio interrogare: *Tu es Filius Dei?* Et nos, qui te quærimus ad vitam in hoc templo, hoc est, in domo tua (Domus enim tua, domus orationis est) oramus, ut tua venia liceat nobis interrogare: *Tu, qui ibi latitas sub figuris panis, qui stas post parietem, qui respicis per cancellos, qui exponeris nobis adorandus in ara; Tu es ergo Filius Dei? Vos dixistis, quia ego sum.*

10. 1. 20. *Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus de ore ejus. Confessus est, quia ego sum Christus.*

O Fides! ô Spes! ô Caritas! huc huc accurrite;

Matt. 26 *Vos quæritis Jesum Nazarenum? ipse est, tenere eum. Ipse enim audivimus de ore ejus.* O Fides! exere

48. hic omnes vires. O Spes! quantum potes, tantum aude. O charitas! dilatare, & dilata corda nostra.

Matt. 15. *O Fides, ne dubita, crede, & sic crede, ut is, cui credis, dicat animæ credenti: Magna est fides tua,*

28.

ut

ut illa aliquando audiat: *Fides tua te salvam fecit.* *Marc. 5.*
 O spes! sic anchoram firma & te confirma, ut ex- 34.
 clames cum Jobo: *Etiamsi occiderit me, in ipso spera-* *Iob. 13.*
bo: ut aliquando audias ab eo, in quo sperasti: 15.
Quoniam in me speravit, liberabo eum. O Charitas! sic *Ps. 90. 14*
 animam accende, ut dicat eodem, quo magnus *Rom. 8.*
 Apostolus, spiritu: *Quis non separabit à charitate* 35.
Christi? ut audiat à dilecto: Remittuntur ei peccata *Luc. 7.*
multa: quoniam dilexit multum. Tu interrogatus an 47.
 sis Filius Dei? Testimonium de te ipso perhibes,
 & scimus, quia verum est testimonium tuum, di-
 cens: *Ego sum.* At quid de me dicam: scimus, quia *Rom. 5.*
per unum hominem peccatum in hunc mundum intra- 12.
vit, & per peccatum mors. Quis est ille, qui sic pec- *2. Reg.*
 cavit? *Ego sum qui peccavi;* sed tamen spero, quia tu *24. 17.*
 peccatores recipis. Recipe me, *ego sum qui peccavi;*
 sed tamen confido, quia tu non venisti vocare
 justos, sed peccatores: voca me. *Ego sum qui peccavi*
 sed tamen non timeo, quia tu es qui peccata re-
 mittis: remitte. *Ego sum qui peccavi.* Tu venisti in *1. Tim. 1.*
hunc mundum peccatores salvos facere: salva me. Es 15.
 enim Jesus, id est, Salvator, quia dixisti: *Ego sum.*

§. IV.

Ducitur vincetus ad Pilatum.

Hodie comitabimur Christum ductum à sa-
 cro tribunali ad profanum, à Concilio Ju-
 dæorum ad forum Romanum, à domo Caiphæ ad
 Prætorium Pilati, de quo ita Evāgelistæ: *Et sur-* *Luc. 23. 1.*
gens omnis multitudo eorum, summi sacerdotes cum
Senioribus & Scribis & universo concilio, adduxerunt
eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi.

Hoc scilicet unum deerat, ut quæ ab injustitiæ
 ministris fuerat accusata justitia, quæ à viris mor-
 tis fuerat condēnata Innocentia, jam à servis pec-
 cati

cati captiva traheretur Libertas. sic transit Christus à summo Pontifice ad Romanum Præsidentem, à Judæis ad Gentiles, ut qui pro omnibus moriebatur, in ejus mortem omnes conspirarent. Interim applaudunt sibi Judæi, gesticunt Sacerdotes, tota exultat civitas, universa triumphat Jerusale. Nunquid tibi, ô Jerusale, hæc olim ab Isaia dicta: *Excute de pulvere, consurge, sede ierusalem: solve vincula colli tui captiva filia sion?* Et tu captivum ducis Filium Dei, qui venerat solvere vincula colli tui? sed quia tibi tam exosa fuit Libertas, tam accepta servitus, coacta es paulò post Romano jugo colla submittere; imò gentiliumpedibus caput subdere, dum everfis incenibus, destructo templo, crematis ædibus, interfectis civibus, tu Jerusalemanibus post terga revinctis à Tito, & Vespasiano in triumphum per Romanas plateas ducta es facta toti orbi ludibrium, quæ fueras miraculum. Quod Christo, sic vincitum duci fuit summa ignominia, hoc nobis Christianis summa est gloria, modò sic vinciamur à Christo, vel pro Christo. Habebat Paulus, quibus poterat gloriari, multa & inclyta nomina, & speciosissimos titulos; erat enim Apostolus, Magister orbis, Doctor gentium: sed his spretis à carcere, à funibus, à vinculis, à compedibus mutuatur gloriam. Hinc toties hæc ejus in epistolis leguntur verba, *Ego Paulus vincitum Christi Jesu.* Audiatur hic magnus ille Paulinæ gloriæ buccinator Chrysostomus. *Non ita caput splendidum reddit imposita corona margaritis conspicua, ut catena ferrea, quæ ob Christum fertur, &c. Quod si quis mihi vel universi cœli, vel hujus catenæ copiam, & optionem largitus esset, catenam hanc ego elegissem. Deinde si aut mihi cum Angelis sursum standum fuisset, aut cum Paulo vincito,*

Isa. 52. 2.

Pro
Christo
ligari
summa
gloria.
Eph. 3. 1.

In 4. ad
Ephes.
serm. 8.

vincto, carcerem praepossem. Hoc sit Christiane
 quo te efferas nomen, *Ego vincetus Christi Jesu.* Non
 opus est fabro qui cudat; non opus est malleo,
 quo cudantur illa, quibus glorieris, vincula.
 Christi praecepta, & consilia, Christiano sunt vin-
 cula: his si vinciaris, victor es mundi, & quod ca-
 put, tui. Tunc licebit gloriari cum Paulo: *Ego vin-*
ctus Christi Jesu. Est qui te percutit in una maxilla.
 Ad hanc injuriam ebullit tibi sanguis, exurgis in
 iram, totus ardes in vindictam; tamen cohibes
 brachium, contines manum, abstines à vindicta.
 Erunt inter homines animales, qui tibi expro-
 brabunt imbelles animos, & dicent illud Judai-
 cum: *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Quidni re-
 percutis; Quis tibi vincat manus? Jesus, cum di-
 xit: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam,*
præbe illi & alteram. *Ego vincetus Christi Jesu.* Erit qui
 contra te linguam acuet, tanquam gladium acu-
 tum: qui in te bilem omnem effundet, qui male-
 dictis onerabit. Tu linguæ, ut fileat, ne mutiat,
 imperas. Quis te mutum reddidit ad tot contu-
 melias, & maledicta? qui linguam vincivit? Chri-
 sti patientia. *Qui cum malediceretur, non maledicebat.*
Ego vincetus Christi Jesu. Erunt tenentes tympanum
 & cytharam, qui te evocabunt è Templo ad fo-
 rum, è sodalitia ad theatrum, dicentes: *Venite,*
fruamur bonis, quæ sunt: nullum pratum sit, quod non
pertranseat luxuria nostra. Responde cum Davide:
Ab omni via mala prohibui pedes meos. Quis tibi li-
 gavit pedes? Ille qui dicentibus, *Descende de cruce,*
 perseveravit in cruce usque ad finem, perforatis
 clavo pedibus, *posuit in nervo pedes meos.* *Ego vincetus*
Christi Jesu. Sic vincetus Christi es candidatus cœli,
 dominus mundi. Hæc, quam tibi Charitas Chri-
 sti imponit, catena, nobilior est quàm vis Cæsaris
 coro-

Præce-
 pta
 Christi
 Chri-
 stiano
 sunt
 vincula,

Matt. 5.
 30.

1. Pet. 2. 2.

Sap. 2.
 68.

Ps. 118.

101.

Matt. 27.

40.

Job. 33.

11.

Act. 28.

20.

Orat.

Man.

Ps. 118. 1.

Eccl. 28.

23.

Jud. 16.

12.

Rom. 8.

21.

Ps. II. 16.

corona. Paulus vinctus ob longâ catenâ, prodibat in retertissimum Judæorum Concilium, ut ostenderet catenam corporis non obesse libertati animi; unde hisce coram illis gloriabatur verbis; *Propter spem israel catenâ hac circumdatus sum.* Christi leges tibi sunt funes, consilia catena. Non te pudeat his vinciri. Dic liberè; propter spem videndi Dei, propter amorem mei dilecti, Christi Jesu, catena hac circumdatus sum. *Ego vinctus Christi Jesu.* Sed heu! ego vinctus mundi, vinctus carnis, vinctus diaboli, coram te Jesu pro me vincto, listo & cogor dicere, quod in carcere vinctus Manasses: *incurvatus sum multo vinculo ferreo, ut non possim attollere caput meum, & non est respiratio mihi.* Funes peccatorum circumplexi sunt me, & ecce trahor sic per plateas Babylonicas, ligatis manibus, ac pedibus, projiciendus in tenebras exteriores. Sed tu ô Libertas mea pro me captiva, dum vinctus traheris per plateas Jerusalem, tolle hoc jugum, sub quo cervicem incurvavi. *Jugum enim illius jugum ferreum est.* Tu, cujus virtute Samson *ita rupit vincula quasi telarum,* solve vincula colli mei, quia ecce plus quam Samson Tu: *ut sic liberatus à servitute corruptionis, in libertatem gloria filiorum Dei,* solutis vinculis corporis, aliquando cum Propheta canam: *Dirupisti vincula mea tibi sacrificabo hostiam laudis.*

§. V.

Judas agnoscit, & cognoscit sua scelera.

Propositurus hodie spectaculum mundo, Angelis, hominibus, dæmonibus admirandum, quo uno stupet, & percellitur omnis spiritus celestium, terrestrium, & infernorum; Judæ, inquam, miserandum interitum; appositè hic prius exclam-

exclamem, quin instar vocalissimi præconis clangingenti & latè resonanti tubâ, omnes ad hoc spectaculum invitem, Davidis verbis: *Venite & videte opera Dei: terribilis in consilijs super filios hominum.*

Ps. 65. 4.

Terribilis fuit Christus super duos filios hominum in suis consilijs, super Petrum, & Judam: terribilis fuit ejus erga Petrum negantem Misericordia, terribilis erga Judam desperantem Justitia. Nuper alteram hanc hodie exponemus. Sic de Juda D. Matthæus: *Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentiâ ductus, retulit 30. argenteos.*

Matt. 27. 3.

Quanta est emphasis, quanta vis, quantum pondus in illa vocula *Tunc*. *Tunc videns Judas &c.*

Peccata
dæmon
prius
extenuat,
postea exaggerat.

Quasi dicat: cum peccaret, non videbat, postquam peccavit, cœpit videre. Fuerat Judas fur, trifur, proditor, simoniacus, energumenus; imò, (ut illum appellabat Christus) diabolus, Clausi adhuc erant oculi, nihil videbat. Fuerat in Amicum perfidus, in Magistrum ingratus, in Patrem impius, in Deum sacrilegus nihil videbat. Dele- ruerat jam Christum à facie ejus profugus, pæctus fuerat cum Judæis de pretio, 30. argenteis eum jam vendiderat, adduxerat velut antesignanus armatorum militum globum ad hortum, ut illum caperet: osculo illum prodiderat, jam illum tradiderat in manus inimicorum: necdum patebant scelera, hæc omnia adhuc latebant sceleratum: *Quasi in nocte sic palpabat in meridie.* Jam non

Job. 5. 14.

tantum cæcus; sed dux cæcorum. Sed cum Christum audiret in Concilio & accusatum, & condemnatum, tunc expers omnis consilii, judicabat de se esse conclamatum: *Tunc videns Judas quod damnatus esset, Tunc, cum descendisset ad ultimum gradum omnis malitiæ, confestim ceciderunt ab oculis*

Act. 9. 18

lis

lue ejus tanquam squama: aperuit ei oculos dæmon,
 & simul ac semel proposuit ei immanem illum
 cumulum omnium scelerum, quæ commiserat, &
 abyssum malorum, in quam descenderat. Tunc
 verè hyperbolicus Orator singula crimina cœpit
 atrociter exaggerare, pūgentibus conscientiaē sti-
 mulis miserum exagitare, horrificis flagitiorum
 monstris terrere, spem ei tollere, ad desperatio-
 nem tandem adigere, in clamando: Quid fecisti?
 vox sanguinis fratris tui clamat è terra vindi-
 ctam in cælo. Vendidisti pretium mundi, quo
 pretio poteris redimi? Clausa est tibi janua mise-
 ricordiaē, quæ spes veniaē? Prodidisti perfidè tu-
 um Dominum, quid superest, quam ut fugias ad
 laqueum? Quo jam fugies, cui nullum superest
 perfugium? peccasti, & peccasti peccatum gran-
 de, nec est qui possit peccata tua dimittere: mitte
 ergo te deorsum, & morere; quis morte omni
 acerbior tibi est vita. Hæc dæmon, hæc sæva con-
 scientia, hæc ipse sibi Judas. Nunc ad te, ô pec-
 cator! convertatur oratio. Dum mundus tibi
 blanditur, cum caro lenocinatur, cum dæmon
 ad peccatum instigat, voluptas invitat; libido
 provocat, honor titillat, gloria oblectat: nunc,
 cum ætas floret, favet valetudo, genæ rubent,
 flavent capilli, micant oculi, ebullit per venas
 juvenilis sanguis: nunc opposito veluti sipario,
 & oppanso velo, tegitur peccati fœditas, non
 apparet ejus enormitas: nihil quod oculos ter-
 reat, occurrit: nihil quod aures offendat, perci-
 pitur: nihil quod corpori incommodet, proponi-
 tur: omnia sunt placida, amœna, jucunda. At verò
 commisso jam peccato, tunc, velut signo dato, ef-
 fractis quasi inferorum repagulis, ruunt cum ar-
 dentibus facibus tartareæ Furiaē. O quam multa
 undi-

Consci-
 entiaē
 malæ
 terrores

undique, & quam tristes rerum imagines animo
 occurrunt? quæ spectra per noctem oblata? quæ
 feræ umbræ quales larvæ? qui conscientia clamo-
 mor? qui latratus; enim verò hic vermem assidu-
 um, hic vulturem non fabulosum hic Furias om-
 nes, hic orcum invenies orco pejorem. Gliscit
 intimè, omnesq; penitus animi recessus pervadit
 inquietus horror; pavet ad omnia malè consciunt
 peccatus, contremiscit artibus, exalbescit metu,
 nec sibi, nec Deo, nec ulli cohæret. Agunt trans-
 versum animi pestes omnes. Intestinum bellum,
 pugna horrida cæca tempestas. Nonne si quis hic
 ad sis male tibi conscius, peccati servus, mortis
 æternæ reus. Christi inimicus, metuis, imò præ
 metu contremiscis, dum occurrit posse te, hac
 ipsâ, qua loquor horâ. quid dico, hoc ipso, quo
 vivis momento, hoc ipso, quo consistis loco, ju-
 sto Dei judicio, repenti cadere, mori, interire, &
 ex hoc Templo ad Tartara descendere. Sed ta-
 men quisquis in hoc statu versaris, duo tibi sunt
 cavenda; alterum, ne nimirum de Dei misericor-
 dia præsumas; alterum, ne penitus diffidas. Præ-
 sumpsit Petrus, & cecidit; diffidit Judas, & periit.
 Si arguat conscientia te esse reum mortis, ecce
 hic auctor est vitæ. Clamat auctor vitæ ad reos
 mortis: *Quare moriemini domus Israel? quare morie-*
mini? Ecce hic sudorem meum, ecce lacrymas, ec-
 ce sanguinem tot & tanta præsidia vitæ. *Quare*
moriemini? Ecce jam in Concilio conclamatum
 est contra me: *Reus est mortis*, jam condemnatus ad
 mortem; ecce ascendo Jerosolymam, ut moriar
 pro vobis; ecce columnam, ad quam flagellabor;
 ecce spinas, quæ caput pungent, ecce clavos, qui
 manus, & pedes penetrabunt: ecce Crucem, in
 qua moriar ego, ut vivatis vos. *Quare moriemini?*

Isa. 49. 8

Isa. 46. 3.

nequaquam moriemini, sed vivetis. *Redite pravatores ad cor.* Redite à tenebris ad lucem, ab errore ad Veritatem, à peccato ad Gratiã, à morte ad Vitã, à vestris miseriis ad meam Misericordiam: Redite, redite: ecce aperti sunt oculi, ut vos clementer aspiciant; promptæ manus, ut redeuntes excipiant, extensa brachia, ut vos amplectantur, demissa labia, ut vos osculer. *Redite*, antequam sol occumbat supra malitiam vestram; antequam veniat nox, qua nemo potest operari; antequam expiret tempus miserendi, Redimus, redimus jam nunc hac hora, & momento ad te, quia nulla est securitas extra te, nulla voluptas sine te, nulla felicitas nisi in te. Relinquimus omnia propter te, quia non est in mundo qui non consoletur, non est usq; ad unum, præter te. Hodie vocem Misericordiæ tuæ audiemus, clamantis ad nos, *Redite*, ne audiamus vocẽ Justitiæ tuæ, terribilem fulminantis, *ite maledicti*, sed potius vocem illam optabilem, *Venite Benedicti Patris mei*.

Matt. 25.
34.

§. VI.

Juda vana pœnitentia.

ADhuc in genis Petri calidæ stillabant lacrymæ, cum ecce nova Christo crescit seges lachrymandi. Vix cœperat, qui ceciderat, stare Apostolus, cum alius ita cecidit, ut fuerit collisus, Christo non supponente manum; quia pedes ejus veloces ad effundendum sanguinem innocentem, eam fugiebant. Judas hic est: Judas in Christi schola discipulus, in domo contubernalis, in familia œconomus, ad mensam socius, in itineribus comes, cum verba vitæ loqueretur auditor; cum signa faceret, spectator. Hic Magistro divendito, cui tantum debebat, quantum homo

homo Deo prope potest debere; præcedens crimen proditionis novo cumulavit scelere desperationis. Redire debuerat miser, unde abierat ad Jesum, hoc est, Misericordiæ sinum; sed diabolus, qui jam intraverat in cor Judæ, ut perderet Judam, duxit illum ad perditos Judæos. Itaq; Judas pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus, dicens: Peccavi.

Noverat Judas Christum, & noctu à Caipha, & mane à Concilio damnatum, traditumq; Pilato tanquam brachio sæculari: tunc ratus actum esse de sua vita, cum ille, à quo vitam acceperat, reus esset mortis, qui fuerat seductus avaritiâ, ductus est pœnitentiâ. Neq; ut putabat ipse, nimis serò, modo satis serò; sed infelix fuit: neq; enim pœnitentiâ cum revocavit ad Dominum; sed, quia vana erat, traxit ad laqueum. Mordente, & pungente, & vellicante eum conscientia, currit ad illos, qui non possunt succurrere; ad Principes Sacerdotum, dicens: Peccavi. Peccavi: hæc formula est pœnitentis, & confitentis. Quod confiteris laudo: sed illi confitere, qui habet potestatem ligandi atq; solvendi. Illi, quibus tu confiteris, habent potestatem, sed ligandi ad mortem, non solvendi ad vitam. Si clausum tibi existimes cœlum, illi non aperient, quia illis ut aperiant, non sunt traditæ claves regni cœlorum: si ligatus es, illi te non solvent, neq; à peccato absolvent: si lubet confiteri, confitere Sacerdoti. Ecce Sacerdos magnus, Quod dicis: Peccavi, probo: sed illi hoc dicas, qui potest confitenti peccata tollere. Ecce, qui tollit peccata mundi. Dices fors: Hominem non habeo, qui peccata dimittat? Ecce homo, ex cujus ore toties audivisti: Remittuntur tibi peccata tua. Plurimis te præsentem remisit, cur te illius clem-

Matt. 9. 2

tia non cōmittis? Potest hominis malitia certare
 cum Dei clementia, sed nunquam vincere. Petro
 pœnitenda remisit, ferè antequam pœniteret :
 cur tibi non remittet, postquam pœnitueris? Si
 angant te tua peccata, accede ad Jesum: *Ille pecca-*
tores recipit. Prosternere ad ejus pedes: illic mulier
 in civitate peccatrix dum abluit ejus pedes, eluit
 suas sordes. Si leprosus es, audies ab illo, per què
leprosi mundantur. Mundare, & confestim munda-
 bitur lepra tua. Si cæcus es, per illum *cæci videntur* :
audies, Respice, & confestim videbis. Si æger es,
 ipse est Medicus, de quo virtus exhibat, sanabitte.
 Si errasti, Jesus est via: si mortuus es, Jesus est vi-
 ta. Sed terrebat Judam seu pudor, seu timor, seu
 dolor. Cum tamen angustia ei essent undiq; ne
 quidem ausus retinere argenteos, quibus illum,
 qui est *super millia auri, & argenti,* vendiderat, re-
 tulit illos, dicens: *Peccavi.* Sed qui seriò peccave-
 rat, non seriò pœnitens se peccasse, incidit in
 manus Dei Justitiæ, qui fugiebat à sinu ejus mi-
 sericordiæ. Non sic impii, ut impiissimus Judas,
 non sic: nolite timere vos: non audiatur ex ore
 vestro, illud desperantis Caini: *Major est iniquitas*
mea, quam ut veniam merear. Audivistis paulò ante
 clamantem ad omnes, & exclamantem ad singu-
 los Misericordiam: *Redite, redite pravaricatores ad*
cor. Quid, inquires, faciam ubi rediero? Imitare
 Evangelicum illum debitorem, qui debebat suo
 Regi centum millia talentorum: debitum pro-
 lus immane. Quid is egit, ut debitum remittere-
 tur? *Procidens servus ille orabat eum, dicens: Patientiam*
habe in me, & omnia reddam tibi quid deinde? *Miseri-*
tus autem Dominus servi illius, dimisit eum, & debitum
dimisit ei. Hic servus non remitti, sed differri dū-
 taxat debitum rogabat. Dominus autem atq; in
 eo

Luc. 19. 2

Luc. 7. 22

Mat. 8. 3.

Luc. 18.

42.

Ps. 118.

72.

Gen. 4. 13

Matt. 18.

26.

Miseri-
cordia
Dei

eo Christus ait: *Omne debitum dimisi tibi, Cur hoc?* *prom-*
Quia rogasti me. Non quia triduo in aqua, & pane *pta ad*
 inediam sustinuisti: nō quia nocturnis te macera- *remit-*
 sti vigiliis: non quia peregrinando te fatigasti: nō *tenda*
 quia pluribus annis cetoso amictu, & flagellis in *peccata*
 corpus animadvertisti: non quia in eremum, &
 solitudinem secessisti: sed *quoniam rogasti me.* Eodē
 momento quo tu percutis pectus, comouentur
 ei omnia viscera; simul & rogas, & impetras: ubi
 stillat ex oculis vel una lachrymula, statim accur-
 rit Misericordia, ubi prodiit ex ore tuo illa vocula,
 Peccavi, statim audis ex ore illius: *Remittuntur tibi*
peccata tua. hoc est quod innuit D. Cyprianus: *Nec* *Luc. 7. 48*
quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec vita enor- *Serm. de*
mitas, nec hora extremitas excludit à venia: sed in am- *Coen.*
plissimos sinus suos mater Charitas revertentes suscipit *Dom.*
prodigos. Ecce hic in ara conspicuū Patrē tot pro-
 digorum, quot peccatorum. Conteratur cor, &
 loquatur os illud, non Judæ desperantis: *Peccavi,*
tradens sanguinem iustum: sed illud Regis Judæ pœ- *Psal. 50.*
 nitentis: *Tibi soli peccavi. Tibi soli,* cui soli debetur
 omnis honor & gloria. *Tibi soli,* qui est solus Deus,
 quia non est alius præter te. *Tibi soli* cui soli debeo
 omne bonum quod accepi hæctenus, & quod ac-
 ceptur⁹ sum deinceps. *Tibi peccavi,* post tot in me
 collata beneficia, munera, favores, gratias. *Tibi*
peccavi, cui debuissim parere ut Domino, servire
 ut Regi, diligere ut patrem, venerari ut Deum.
 Sed licet accuset me os meum, & compellat me
 dicere: *Tibi soli peccavi,* tamen cogit me quoq; di-
 cere tua Clementia: *In te Domine speravi: & quia* *Pf. 30. 2.*
sper non confundit, non confundar in æternum. *Rom. 55.*

§. VII.

Sacerdotum ad Iudam responsum.

QUam non vanè dixerit Sapiens in sacris suis
 adagiis,

Prov. 10. adagiis, *Spes autem impiorum peribit,* docebit nos
28. damno suo, utinam fructu nostro, impiissimus il-

Fiducia
in ho-
minibus
vana,

Prov. 17.
28.
Pf. 145.9

le, prius discipulus Veritatis, nunc magister erro-
 ris, Judas. Is sciens pecuniam sibi partam iniquè
 & acceptam à Judæis, & à se possessam, projecit
 ad pedes Sacerdotum, dicens: *Peccavi tradens san-*
guinem justum. At illi, nihil comoti pœnitentiâ, &
 testimonio Judæ impudenter dixerunt, *Quid ad*
nos? scilicet, quod tu peccaveris, & tradideris san-
guinem justum. Cur nobis hoc acclamas, & quasi
 sceleris tui complices accusas! *Tu videris,* tuum est
 videre & curare, an hoc feceris, & faciendo rectè
 feceris. Nostra nihil interest. Abi igitur hinc, &
 noli nobis esse importunus. Audiant hic omnes,
 qui *confidunt in divitiis suis,* qui *confidunt in bra-*
chio carneo, qui *confidunt in principibus hominum,*
in quibus non est salus. Judas, ex collegio Apostolo-
 rû, apostata: ex militibus Christi, transfuga, Chri-
 sti deseruerat castra. Unum sibi elegerat asyllum
 Principes Sacerdotum. In hac veluti arce spem
 omnem suam collocaverat. Illorum supercilio,
 quo tota nitebatur Synagoga, se fulciendum cõ-
 fidebat. Ad illorum amicitiam, perfidix flagitio
 irrepserat: ut illis placeret, Christo displicere pelli-
 habebat. Non eum fugiebat, totam Synagogam
 ardere insigni odio Christi; Judæos omnes ma-
 chinas excogitasse, quibus eum è medio tollerent.
 Ut ergo mercaretur eorum favorem, vendidit il-
 lis pretium mundi. Certus, quamdiu niteretur
 eorum benevolentia, benè omnia sibi fore, adeo-
 que habiturum se præsentissimum in periculis re-
 fugium, in mœrore solatium, in necessitate præsi-
 dium, Christo interim ad mortem damnato, com-
 demnabat Judæ conscientia, dum accusabat sceleris
 nunquam remittendi. tum ipse secum: *Vendi-*
 di Sal-

di Salvatorem; quid superest, quam ut perdam salutem? Tradidi ipsam vitam: quid restat, quam ut incurram mortem? Prodidi spem meam: quid reliquum quam ut desperem? Major est iniquitas mea quam Caini: quidni justius dixerim quam Cain: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Unum est, in quo spero, à quo & subsidium expecto, perfugium, Synagoga. Surgam ergo, & ibo ad Synagogam, & dicam: *Peccavi: tradens sanguinem justum* Illo surgente & ad Principes Sacerdotum se conferente, videor mihi audire Sacerdotem illum magnum, dicentem tacitè illa verba *Isaia: super quem habes fiduciam, quia recessisti à me? Isa. 36. 6.* *Ecce confidis super baculum istum arundineum, confractum.* Ingreditur Templum Judas, vultu, quo reum decet, mæsto, & oculis lachrymantibus, crebro peccatoris pulsu, nec sine vocis singultu, sceleris se insimulat, dicens *Peccavi. Quid ad nos? Tu videris* Ah miseremini miseri: *peccavi, tradens sanguinem justum, & ecce morior. Quid ad nos? Peccavi, & peccatum meum contra me est semper: & ecce pecco. Quid ad nos? Mementote me gratiâ vestri excidisse gratiâ Christi. Optabatis Christum capere, ego modum, quo capi posset, suggessi. Volebatis eum tradi, in manus vestras tradidi. Unum erat omnium votum, eum ad mortem condemnare: mihi debetis, quod jam ad mortem sit condemnatus. Vendi eum volebatis vili pretio: vendidi eo, quo solent in foro pecudes, 30. argenteis. Unum pro tot beneficiis ut rependatis oro: adferre mihi in his animi angustiis subsidium, alias impendet mihi exitium. Quid ad nos? Despero salutem Quid ad nos? A beo ad laqueum. Quid ad nos? Ita miser Judas ab omnibus derelictus, nusquam habet perfugium: à Christo desperat auxilium, à Judæis non*

Gen. 4.

3.

Isa. 36. 6.

Judas
ab om-
nibus
desertus
despe-
rat.

In hora
mortis,
nullum
à mun-
do expe-
ctandū
solatiū.

I. Cor. 7.

29.

Dan. 13.

22.

Pf. 17. 5.

Pf. 64. 3.

Isa. 5. II.

Luc. 16. I

accipit solatium, à nullo, nec à cælo, nec à terra ex-
spectat subsidium; intus illum terret, & affligit cō-
scientia accusans, supra Justitia minitans, infra de-
mon oppugnans, à dextris homo deserens, à sini-
stris peccatum persequens. Tum demum exper-
tus est Judas nihil gravius esse in peccato, quàm
peccasse. Itaq; ab Apostolatu, à Religione, à Chri-
stianismo exauctoratus, dimissus est secundum
desideria cordis sui amari, duri, inhumani, ut qui
in Magistrum suum impius, & crudelis fuerat, im-
piè item in se ipse sæviret. Erigite hic aures vos
omnes, qui in hoc mundo estis de mundo. Veni-
et aliquando illud tempus, & veniet brevi, quo-
niam *tempus breve est*, quo clamabis, quando jam
de vita erit conclamatum: Ah munde! succurre,
angustia sunt mihi undique. Reclamabit sic claman-
ti illud Iudaicum: *Quid ad nos? O socii quondam*
scelerum meorum administri, adeste: quia ecce
circumdederunt me dolores mortis: dolores inferni cir-
cumdederunt me *Quid ad nos? O Principes Domini*
quondam mei, in quorum obsequio oppignora-
vi sanguinem, exhausti sudorem, impendi vitam,
perdidi animam, porrigite manum auxiliatricem:
quia nunc infixus sum in limo profundi, & non est sub-
stantia: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit
me. Quid ad nos? Ah caro, cujus ut extinguerem si-
tim, toto die studui calicibus epotandis? cui? cau-
sa toties surrexi mane ad ebrietatem sectandam, & po-
tandum usq; ad vesperum, ut vino astuarem; Intinge ex-
tremum digiti tui in aquam, ut refrigeres linguam meam,
quia crucior in hac flamma. Quid ad nos? Tu videris. Hi
sunt Domini quibus consecratis omne vestrum
obsequium, vigiliam, labores, sudorem, sanguinem,
vitam, animam, omnia Hi sunt vituli aurei, quos
adoratis. Hæc sunt idola quæ colitis, à quibus
dum

dum jacebitis in lecto doloris in novissima hora, dum præ angustiiis cordis totum corpus, & singula totius corporis membra frigido, & letali sudore diffluent: dum frangentur oculi, deficiet vox palpitabit cor, non aliud expectandum est solatium, non alia audituri estis verba, quàm, sudet, angatur moriatur, pereat, *quid ad nos?* Valeant ergo, quibus hæctenus servivi, non Domini, sed Tyranni; non Patres, sed carnifices. Tibi me servum offero, & fidelem me fore in serviendo spondeo, ex quo aliquando audiam: *Euge serve bone, & fidelis, quia super paucis fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* In tua vinea operabor, qui operantibus es merces magna nimis. Tibi me, & mea omnia dedico, ad quem si in tribulatione clamavero, non audiã ut Judas, *Quid ad nos.* Sed ut ipse per Prophetam dixisti: *Clamabis & dicet; ecce adsum.* Te in necessitate invocabo, quia *quacumq; die invocavero te; ecce cognovi, quoniam Deus meus es.* Tibi offero omnes meas lachrymas, qui *absterges omnem lachrymam ab oculis meis.* Si cæcus sim, & clamem cum cæco illo, *IESU Fili David miserere mei,* mox audiam quod ille cæcus: *Quid tibi vis faciam?* Si leprosus sim & tantum dixero, ut leprosus ille, *Domine, si vis, potes me mundare,* statim audiam: *Volo, mundare.* Si post sexcenta peccata dixero quod Judas, sed non ut Judas: *Peccavi, illico audiam: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Matt. 25.

21.

Gen. 15. 1

Isa. 98. 9.

Pf. 55. 10.

Apoc. 21.

4.

Matt. 18.

41.

Matt. 8. 4

Matt. 9. 2

§. VIII.

Judæ desperatio.

Quàm sit horrendum incidere in manus Dei viventis, docet nos tremendum exemplum Apostoli pereuntis. *Et abiens laqueo se suspendit.* O tristem juxta ac infidelem abitum! *Abiens.* O quam sūt diversa illa extrema, terminus à quo, & terminus

nus ad quem! Unde abiit, quò devenit? Abiens à luce ad tenebras exteriores & interiores, à gaudio ad luctum, à solatio ad mœrorem, à tempore ad æternitatem, à mundo ad Inferos, ab hominibus ad dæmones, à Christo ad Luciferum, à summo bono ad summum malum. Iudas jam proximus exitio, tetras animo volvebat cogitationes: ferales menti occurrebant larvæ, tristes oculis obiciebantur imagines. Aspiciebat cœlum, illud videbatur in eum tonare, fulminare, sulphur & ignem pluere. Despiciebat terram, hæc sub pedibus ejus videbatur dehiscere, & aperiri, ut eum vivum absorberet. Inspiciebat conscientiam, illic videbantur omnes Furix ex orco emissæ, in pectore ejus stabulari, ut eum exagitarent. Circumferebat oculos per aerem, illic videbatur intueri dæmones in se debacchantes, & exitium minitantes. Respiciebat Christum, ille videbatur ei severissimus Iudex, acerrimus vindex, crudelissimus Tyrannus. Ita omnia latè circumspiciebat, & nusquam solatium: omnia animo volvebat, & nusquam subsidium: omnia anxius, pavidus, sollicitus perlustrabat, & nusquam perfugium: singula oculis, menti, memoriæ proponebat, & nusquam non vel impendens exitium, vel exitii imminens periculum. Scelus quod patraverat, videbatur ei in-expiabile. Sceleris veniam impetrare credebat impossibile; sic tamen vivere, erat & intolerabile; pertæsus ergo vitæ, vir mortis, ubi Filium Dei prodidit, se, sua omnia perdidit. Itaq; ingressus domum, quem fortè videbat, arripuit, vel certè quem non invenit, ipse sibi contextuit laqueū. Et egressus foras, omnia tristibus oculis circumspiciens & secum sævum immurmurans illud Job,

Iob. 3. 2. sed alia mente: *Pereat dies in qua natus sum: & nox in qua*

qua dictum est: Conceptus est homo. Dies ille vertatur in
 tenebras: obscurent eum tenebrae, & umbrae mortis: oc-
 cupet eam caligo, & involvatur amaritudine. Noctem
 illam tenebrosus turbo possideat. Et illud Jeremiae: *Jer. 20.*
 Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem, & *18.*
 consumerentur in confusione dies mei? His & similibus
 questibus, ac planctibus aera complens, cum vi-
 deret se sine arbitris solitarium, inseruit collum
 in laqueum. Sed antequam spectemus miserrimi-
 mum ejus casum, causam investigemus cadendi.
 Ecce hic, quibus gradibus descendatur ad malum
 summi mali. Primò occurrit animo prava demo-
 nis suggestio; huic, dum admittitur, succedit de-
 lectatio; tum, dum illa non repellitur, subsequi-
 tur consensus; deinde actus; ex frequentibus acti-
 bus nascitur cōsuetudo; illa vertitur in naturam:
 tandem ex his omnibus exoritur pertinax, ob-
 firmataque in sceleribus consciscendis voluntas,
 quam nulli inferi, nullæ minæ, nulla intentata
 supplicia dimoveant. Offunditur consceleratissi-
 mæ menti horrida caligo, succedit immanis qui-
 dam ad omnia stupor: Exindè durum, inacces-
 sumq; cor, & nulli cœli telis expugnabile: frustra
 clamant è cathedra oratores: frustra obtrudis
 pios, quos legant libellos: frustra obtestaris per
 Christi patientis, dolentis, morientis, sanguinem,
 crucem, mortem: frustra commendas Sacramen-
 ta. Ridentur omnia; callus obducitur, gratiæ hinc
 diminuuntur, inde scelera, pestes, hostes corro-
 borantur: conclamatum est Eò malum erumpit,
 ut neq; pejor esse, neq; fieri melior possit. Quid
 infelicius? sic obdurata mens obrigescit malis, &
 quasi designata ad perennes flammæ victimæ,
 extremum exitium præstolatur. De tali homine
 rectè dixeris, quod de Juda Christus: *Bonum erat Matt. 26*
ei, 24.

ei, si natus non fuisset homo ille. Bone JESU, qui pro nobis & incarnatus es de Spiritu S., & natus es ex Maria Virgine; hic nē est aliquis ex hoc cātu, de quo in tuo, & Patris arcano Concilio dictum est

Matt. 26. *ab æterno; Bonum erat ei si natus non fuisset homo il-*

24. *le? Qui æternum planget, hac tristi elegiã. Pereat dies in qua natus sum; Est nē hic aliquis, cui bonum esset non fuisse natum? O JESU timore & tremore concutis omnia ossa mea, dum attonas super caput meum illa fulminatrici sententia: Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta. Hoc est, nescit homo, an bonum erat ei, si natus non fuisset. Iterum voce tua tanquam rugitu leonis tremefacis cor meum, dū illa enuncias verba, ad quæ meritò tinniant aures omnium hominum: Multi sunt vocati, pauci verò electi. Scio me vocatum, nescio electum. Vocatus fuit Judas, sed vocatus tantum, non item electus. Et tamen quomodo non paveo, & propè præ metu contabesco? Judas semel te vendidit, & æternum periit; toties ego te vendidi, quoties gravius te offendi; & quasi securus de salute, certus de electione, non tantum non timeo, non doleo; sed gestio, sed rideo. O Christe! timore pariter, & dolore oppressus, ductus pœnitentia, non illa qua Judas, ego Iuda peior, Iuda ingrator, totum me prosterno ante adorandos Majestatis tuæ pedes, quæ se prostravit ad pedes Iudæ, & dico cum Iuda, Peccavi, tradens sanguinem justum: sed sanguis tuus sit super me, & super animam meam, & clamet de terra non Iustitiam, sed Misericordiam. Tu, qui lavasti pedes Iudæ, amplius lava me, quam Iudam, ab iniquitate mea, ut mundus ab iniquitate mea, sim dignus benignitate tua.*

Eccl. I.

Matt. 20.

Pf. 50.

Iudas se suspendit.

Judas semen Chanaan, & non Iuda, delusus à Principibus Sacerdotum, repulsus à Synagoga, segregatus à Christi contubernio, separatus ab Apostolorum collegio, destitutus omni solatio, ubi já aperuit oculos, videns se spe argentei lucri vendidisse Justitiam, misericordiam, innocentiam, animam, cœlum, Deum, omnia; filius confusionis, & perditionis, perdidit tandem illam, quæ nunquam confundit, spem; quare hæc Davidis secum repeteus: *Repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit: ut ad inferna descenderet, arborem ascendit; seu illa fuerit ficus, ut vult Beda, vel potius ut alii, sambucus, quæcunq; denique fuerit, non fuit arbor bona, quia malum fructum tulit: inserto in collum laqueo, ex ea se præcipitè dedit, ut valido corporis impulsu, & libratione, laqueum fortiùs adstringeret, atq; ita se præfocaret citiùs: quæ his paucis verbis perstrinxit, Matthæus: *Abiens laqueo se suspendit.**

Dan. 13.
56.

Pf. 87. 5.

Matt. 27.
5.

Tenet omnes, & in terris homines, & in tartaro dæmones, & in cælo Angelos ingenti stupore attonitos, atq; suspensos, è ferali arbore suspensus, tanti Magistri discipulus, tanti Domini famulus, Christi Apostolus Judas. Numquid hæc audiens, hæc videns, meritò interroget cum Isaia: *Quis audivit unquam tale? quis vidit huic simile? O vos Angeli, qui hoc vidistis! ô homines, qui hoc auditis! ô dæmones, qui ad hoc instigastis! exclamate cum tota rerum universitate illud Paulinum: O altitudo divitiarum sapientia, & scientia Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus; & investigabiles via ejus! Siccine discipulus Domini incidit in laqueum diaboli? *Abiens laqueo se suspendit. Sic miser abiit, obiiit, periit.**

Isa. 66. 8.

Rom. 11.
33.

- perit, Abiit à Christo: obiit in mundo; perit in orco. *Suspensus crepuit medius; quia Mediatorem Dei, & hominum vendidit. Diffusa sunt omnia viscera eius: quia illum tradidit*, in quo erant viscera misericordiae D. i. Laqueo se suspendit, quia laqueum paraverat pedibus Christi Postquam gustans gustavit paululum mellis: postquam libavit gaudium avaritiae, quod, ut loquar cum Job, est ad instar puncti, statim arborem conscendit, & repente securis ad radicem arboris posita est, & in puncto ad inferna descendit: imò descendit, ut utar verbis Moysis, usq; ad inferni novissimi: ut impleretur illud Christi, erunt primi novissimi. Cui unquam incidisset cogitare, cum videret Judam ex infinita hominum turba eligi in Apostolum, assumi in Christi discipulum, ascisci in ejus oconomum: cum videret eum, ut caeteri Apostoli, ejicientem demonia, patrantem miracula: cum videret Christum lavantem ejus pedes, accumbentem cum eo in mensa, Christum pascentem eum carne, & sanguine, osculantem eum, appellantem amicum: cui, inquam, incidisset unquam cogitare, Hic se laqueo suspendet? & tamen abiens laqueo se suspendit. O Juda! Iuda, erat tibi parata mensa, paratus thronus; dixerat enim tuus Magister: Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, ut sedentis super thronos judicantes 12. tribus Israel. Quis te expulit illo regno? quis privavit hac mensa? quis dejecit è throno? quis exiit spe totae tantorum bonorum, nisi cupiditas, radix omnium malorum? Voluisti esse dives pecuniae: factus es inops gratiae, & hinc expers gloriae. Divitiae laqueum paraverunt, non tantum pedibus tuis, ut caderes, sed & capiti tuo, ut te suspenderes. Ex cupiditate orta est proditio, ex hac

Act. 1. 18.

Luc. 1. 78

1. Reg. 14.

43.

Job. 20. 5

Luc. 3. 9.

Deut. 32.

22.

Marc. 10.

31.

Luc. 22.

29.

1. Tim. 6.

10.

Ps. 56. 7.

hac nata desperatio, inde secuta perditio. Sed
perditio tua ex te. Juda. Non debes Filio hominis, *Ose. 13. 9.*
 quod fueris filius perditionis. Ipse enim ex ore
 ejus audivisti: *Filius hominis non venit animas perdere* *Luc. 9.*
sed salvare. O Iuda! si post projectos argenteos in *59.*
 templo abiens venisses ad Iesum, & osculatus
 fuisses, non ut proditor ejus, sed ut peccator, pe-
 des; & sic illic ipsa tui Magistri citasses verba, di-
 cens; Tu dixisti: *Filius hominis non venit animas per-*
dere, sed salvare. Perditus sum, salva me: salva res
 erat; certò audivisses, quod peccatrix illa; *Fides tua* *Luc. 7.*
te salvam fecit. vade in pace. O Iuda! quomodo con- *40.*
 fusio operiet faciem tuam, quomodo stridebis
 dentibus in die illa magna, quando videbis Pe-
 trum, Ioannem, Iacobum & reliquos, socios olim
 tuos, tunc Iudices. sedentes super duodecim se-
 des, & inter illos Matthiam, qui tibi sorte suc-
 cessit in episcopatum, sedentem in illa sede, quæ
 tibi parata erat? tu verò jacebis sub eorum pedi-
 bus, ab iis judicandus, & condēnandus? O Iuda,
 vel ideò miserimus, quia eo die periisti quo nihil
 erat facilius quam salvari: in ipso die salutis, quo
 mortuus est pro mundo, Salvator mundi: illo die,
 quo consummatum est opus Redemptionis: illo
 die, quo Christus omnem, quem sacratissimis suis
 venis cōcludebat; effudit sanguinē. O Iudas! *quia* *Luc. 19.*
si cognovisses & tu, & quidem in die illa qua ad pacē tibi, *42.*
 dum osculatus es principē pacis! sed hæc abscon-
 dita fuerunt ab oculis tuis, quia tu absconderas
 ab eo faciem tuam. O Iuda! quantum mihi de im-
 pietate cōcedis? Uno hoc tibi, cætera inferior, ne-
 quiorq; antesto, quod veniam ab eo, quem plus,
 quā tu offendi, & sæpius prodidi, sperē, adeò be-
 nigno, atq; ad ignoscendū prompto, ut desperare
 de scelere, sine novo scelere, in maximaq; ejus inju-
 litia,
 ria,

ria, non possim. Gravissima enim, quæ fingi potest, est injuria, de illius desperare clementia: quia qui de ea desperat, quantum potest Deum destruit: dicit enim plura se posse scelera committere, quam ille possit remittere, atq; adeo sacrilege asseverat, Deum non esse infinite misericordē. Si Deus non est infinite misericors, non est Deus. Cur ergo desperas peccator? nunquid deus vult mortem peccatoris, pro quo mortuus est? desperare nos Deus vetat, sperare mandat. Quid? an veniā petentibus negabit, qui, ut petamus, imperat? Quomodo hæc duo simul subsistunt, Christi passio, & Christiani perditio? Christus passus est, ne perirem, & postquam passus est, peribo? Scio Domine, non ideo desisti esse infinite bonus, quia ego cœpi esse malus: non est major iniquitas mea, quā bonitas tua, majora sunt Filii tui pro me merita, quā mea contra te scelera. Filius tuus mortu⁹ est: pro quo? pro se, an pro me? Ipse peccatū non fecit, ego in peccatis conceptus, & in peccatis natus sum totus; plus Filius tuus pro me solvit; quā ego tibi debeo solvenda. Age, appēde in statera, hinc mea debita, inde Filii tui merita, si adhuc inveniar ego minus habens, si plus ego debeā peccator, quam solverit pro me meus Salvator; fateor, reus sū. Filii tui pro me effusus sanguis, salutis mihi est pignus. Si dicas: Illud quod petis, infinitum est præmium, accipe pro præmio infinitum pretium. Plus valet gutta sanguinis ejus vel unica, quā tota celestis regni gloria. O Jesu! propter te inveni gratiam in oculis Patris tui, & desperabo de misericordia fratris mei? Tu es spes mea ab uberibus matris mee. Licet ego peccaverim, & ideo dignus sim qui puniar in æternum, tamen idem qui peccavi in te Domine speravi, non confundar in æternum.

Spei
actus.